



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1553

VD16 B 9605

6 Argvmentvm Epistolæ D. Pavli Ad Philipp.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35634

EAdem caussa & occasio hanc ad Philippenses epistolam extorsit Paulo quæ Ephesijs scriptam extorserat. Tenebatur in uinculis Apostolus, oberrabat pseudapostolorum uulgus, eleuabant Pauli doctrinam, sed & uincula eius in sinistram abripiabant occasionem. Et hactenus quidem nil profecerant apud Philippenses, in fide uera & doctrina apostolica constantissimos. At quid interim Paulus cogitare potuit quàm Philippenses esse homines, qui grauibus illis uinculis suis offendi, & pseudapostolorum artibus subuerti possint, cupiens ergo amans suæ familiæ bonus pater tempestiuo aliquo remedio periclitantibus subuenire, hanc adornat epistolam, in qua mirifice illos in fide recepta confirmat, & omnia ea expungit quæ poterant uel abstrahere à uero uel currentes in uia domini impedire, quominus procederent. Principio ergo collaudatos ob fidei donum & sanctam constantiam erudit, ne cruce et uinculis suis offendantur, utpote ex quibus plus commodi quàm dispendij sit enatum hactenus. Se quidem illis nequaquam examinari aut angi difficilius planè testatur, ut qui paratus sit mori pro Christo. Deinde hortatur ut in percepta ueritate persistant, & ut suam uocationem

EPISTOLA PAULI

nem deceat ambulent, id autem futurū putat si sint concordēs, ad quod deinceps ardentissimis inflammat argumentis, ubi & de mysterio Christi differit, & quaedam de Timotheo & Epaphrodito adijcit. Tertio loco monet à Pseudapostolis sibi caueant, legem & operum merita Christo miscentibus. Ibi uero demonstrat omnem iustitiam & omne quod mundo uidetur exinimum Christo collatū non damnū modo sed excrementis esse simile. Cauendos ergo censet pseudapostolos. Quartum caput refertum est salutationibus & salutaribus quibusdā tum dogmatis tum exemplis.

Scripta est hæc epistola ex uinculis ab urbe Roma, perlata per Epaphroditum. Varia est, sed docta, grauis & utilis. De Philippensibus lege Epitome Vadiani nostri, præcipue uero Lucam in Actis apostolorum capite decimosexto.

ARGVM. EPIST. PAULI AD COLOSSENSIS.

EPISTOLA Pauli ad Colossenses Epitome eia
est quam ad Ephesios scripsit, nisi quod in illa no
stra acrius & feruentius disputat aduersus pseudapo
stolos ad Mosen et legalia reuocantes Christianos. Ho
rum enim artes metuens, ne uidelicet his imponerent
Coloss.